

I. Crassum hoc & terreum pars alimenti est. τροφή δὲ πάντων, ὑγρὰ μάλλον, I. Gen. 18. extremò.

II. Idipsum jam in secundâ coctione est, postquam scilicet plurimum ejus, quodq; maximè fæculentum est, decisum est.

III. Idipsum quod superest, multâ aquâ perfusum est adeò, ut angustissimis meatibus sit contentum.

IV. Si compares inter se terreum & aqueum, aqueum prædominabitur, adimetque tibi vanum timorem.

V. Terreum iterum tantò est in minori copia, quantò cibi ipsi minus Melancholici sunt, ut sic dicam, individuumque minus ad generationem illius humoris propendet.

VI. Idem non est lentum seu viscidum, sed, quod dicitur, terreum, id est, friabile & pulverulentum.

VII. Idem non est quietum in liene, ut, superveniente materiâ novâ, compingatur ibi quasi cuneo quodam, sed coquitur, quod est, calor pervadit illud totum, & sperando utile ab inutili, susque deque agit, usque dum habeat perfectionem illam, quam suscipere potest pro conditione sua.

Dicis, quid sit igitur tandem chylo illo? Dixi suprâ, non ex Hipp. tantùm, sed & Gal. 4. de us. part. 15. fieri inde sanguinem tenuem,

nuem,